perierit. et adhuc mente deterius immutato subsequentes
perdat. Ne omnino nichil eis praebeant quibus conferre ali-
quid parum debent; audiant quod scriptum est: Omni petenti
te tribue. Ne saltem aliquid praebeat quibus omnino con-
ferre nichil debent; audiant quod scriptum est: Da bono
et non receperis peccatorem; benefac humili, et non dederis impio.
Et rursum: Panem tuum et vinum super sepulturam iusti con-
stitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus.
Panem enim et vinum suum peccatoribus praebet, qui iniquis
subsidia pro eo quod iniqui sunt tribuit. Unde et nonnulli
huius mundi divites cum fame crucientur Christi pauperes,
effusis largitatibus nutriunt hystriones. Qui vero
indigenti etiam peccatori panem suum non quia peccator sed quia homo
est tribuit, nimirum non peccatorem sed pauperem iustum
nutrit, quia in illo non culpam sed naturam diligit. Ad-
monendi sunt etiam qui iam sua misericorditer largiuntur,
ut sollicite custodire studeant, ne cum commissa peccata
elemosinis redimunt, adhuc redimenda committant, ne
venalem dei iusticiam estiment, si cum curant pro peccatis
nummos tribuere, arbitrentur se posse inulte peccare. Plus
namque anima quam esca, et corpus plus quam vestimentum. Qui ergo
escam atque vestimentum pauperibus largitur, et tamen anime vel
corporis iniquitate polluitur, quod minus est iusticie optu-
lit, et quod maius est culpe admisit. Sua enim deo dedit,
et se dyabolo. At contra admonendi sunt, qui adhuc aliena
rapere intendunt, ut sollicite audiant quid veniens in
iudicium dominus dicat. Ait namque: Esurivi, et non
dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum;
hospes eram, et non collegistis me; nudus, et non operuistis
me; infirmus et in carcere, et non visitastis me. Quibus
etiam premittit dicens: Discedite a me maledicti

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2284/0077
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt